(6.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARTHURUS GARRY,

Hibernus.

"Verum enimvero, homo, non modo certo, secundum Naturæ leges, tempore, nascitur, crescit, viget, senescit, moritur, sed variis quoque, prope innumeris, morbis obnoxius fit." |GREGOR. *Conspect.*

Ad Kalendas Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

DOCTISSIMO ET ADMODUM BENEVOLO VIRO

THOMÆ MILLS, M.D.,

COLLEGII MEDICI REGIS ET REGINÆ IN HIBERNIA

PERMISSO,

QUI,

CUM PERITIA ET HUMANITATE MAXIMA,

MEDICINAM EBLANÆ EXERCET,

HOCCE TENTAMEN,

PIGNUS QUIDEM TENUE,

PRO MUNERIBUS MULTIS ACCEPTIS,

ANIMI GRATI,

DEDICAT

AUCTOR.

To James Woodforde Esq.
with the Author's Compliments

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Auctore ARTHURO GARRY.

QUONIAM leges hujus Almæ Academiæ exemplum a discipulo ejus in medicinæ studio progressus ante requirunt, quam candidatum, pro Gradu Doctoris, in Arte Apollinari, se offerre liceat; Dysenteriam ad meæ dissertationis argumentum selegi. Nec fuere mihi experientiæ, in hoc morbo, occasiones multæ, vel remediorum jampridem inter medicos in usu effectus explorandi, vel etiam novis utendi; quapropter pensum meum non ma-

jus erit, quam morbi symptomata et medendi modos scribere, ut in libris optimis de re medica enarrata fuerunt. Dum hoc efficere conor, spero, si pro re nata, opinionem vel conjecturam ex meo ipso proponam, neminem arrogantiæ, vel desiderio theoriam, semper fallacem, substituendi, corollariis ab observationibus et experimentis deductis, sed studio potius artem medicam promovendi, imputaturum.

MORBI DEFINITIONES.

Dysenteria definita fuit, a Cornelio Celso, esse: "Tormina per quæ intestinorum fibræ corrugabantur et vellicabantur; vel intestinorum exulceratio, cum sanguinis vel materiæ mucosæ et purulentæ evacuationibus frequentibus inter dejiciendum, dolores violentes et febris."

Per Galenum in species quatuor divisa est; sed una solum Dysenteriam constituit, quam hoc modo definit: "Brevibus intervallis, sanguinem cum excrementis, imo pure et materia mucosa permistum, ægri cum dolore et torminibus ejiciunt, quod indicat exulcerationes, modo majores, modo

minores, prout effectus inveteratus aut recens fuit."

Hunc morbum CULLENUS in ejus Nosologia sub Classem "Pyrexiæ," et Ordinem "Profluvia," posuit; et sic definit: "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis, tormina, tenesmus."

Hæ tres definitiones eundem morbum certe notant; sed CULLENI Dysenteriæ signa characteristica præsertim narrat. Nec CELSUS nec GALENUS fæcum naturalium retentionem referunt, sed exulcerationem ut symptoma dant, quæ, cum existit, frequentius effectus quam signum primarium est.

SYMPTOMATA.

DYSENTERIA inflammatio membranæ mucosæ intestini putata fuit; præsertim partis tubi inferioris, cum constrictione (ut docuit CULLENUS) in superiore.

Obvenit frequentius in anni tempestatibus æstivis et autumnalibus, et in plagis calidis quam fri-

gidis. Nonnunquam febre intermittente vel remittente complicatur; sed sæpius cum synocho.

Febris eam assiduo comitatur, quæ aliquando affectum topicum præcedit, sed plerumque succedit.

Algore advenit, cui succedunt caloris sensus, cutis ariditas, appetitus imminutus, pulsus frequens, sitis, cum lingua alba, obstipatio cum ventris barborygmis; anorexia, nausea, et vomitus. Præcedit interdum diarrhœa. Deinde superveniunt tormina, tenesmus, abdominis tensio et dolor, cum desiderio fere perpetuo ad alvum dejiciendum; inter quod faciendum, retentæ sunt fæces naturales, dum materia mucosa dejicitur, sanguine sæpe tincta. Aliæ res dejectæ, muriæ ex carne similes sunt, cum scybalis, vel massulis adipis, vel casei, vel filis membranaceis, intermistæ sunt. Sæpenumero dejicitur pus ingenuum. Odor fæcum fœtidissimus est.

Ubi, ad partem inferiorem tubi intestinalis tendit inflammatio, dein sedes liquidæ frequentiores, et minus abundantes fiunt; et materia fæcalis partem inflammatam pervadens, dolorem magnum, in omni evacuatione, excitat; cui præcedunt tormina, verminatio, et flatus.

Raro, nisi in forma scybalorum, apparent fæces, quorum expulsio, pro tempore brevi auxilium præbet.

Si remedia propria non tempestive usurpantur, morbus celeriter, resolutionem virium perinsignem inducit, ex qua decedunt signa typhoidea et putrida; sicut singultus, subsultus tendinum; urinæ et fæcum exitus involuntarius, sudores gelidi atque glutinosi, pulsus celer et intermittens; et æger post dies duos vel tres in mortem labat, cum omnibus gangrenæ notis.

Nonnunquam in choleram morbum; vel longius durans, in diarrhœam chronicam, mutat.

Vel si symptomata graviora, scilicet, fæcum naturalium retentio, tormina, tenesmus, &c., remediis jam enumerandis cedant; tunc febris mitescit, pulsus mollis et plenus, et lingua nitida fit; sitis minus urget, appetitus redit, sudor lenis supervenit, et denique æger revalescit.

Patefactis cadaveribus eorum, quos luci eripuit hic morbus, indicia et terminationes inflammationis inveniri possunt; nempe, exulceratio, erosio, adhæsio, scirrhus, gangræna in membrana intestinorum mucosa, præcipue coli et recti. Peritonæum quoque (quod tunicam externam intesti-

nis præbet) inflammationi obnoxium est, necnon tum abdominis tum pelvis viscera, propter contiguitatem.

DE CAUSIS.

Antiqui, causam proximam Dysenteriæ exulcerationem intestinorum esse, crediderant; et causam remotam humores acres et putrescentes in intestina, ex venis majoribus, nempe, lienis, hepatis, mesenterii et partium aliarum, transfusos; qui propter irritationem, ea ad dejectiones frequentes excitarent. Pari ratione, pituitam, vel bilem flavam aut atram, et cruditates, carnes putridas, venena, et medicamenta quædam drastica, pro causis habuêre.

Vix necessarium puto chemicorum opiniones proferre, qui sales arsenicales et corrosivos in sanguine generatos, morbum excitare putaverunt.

Willis ventriculi aciditatem; alii, particulas cuspidatas et bifidas ex sanguine secretas, intestina lacerando, et exulcerando, morbum produxisse existimavere.

Hæ theoriæ certe fidem nullo modo merentur; quia horum salium præsentia, certis nunquam periculis probari potuit.

Dysenteriæ promovendæ non sufficit Willisii aciditas; nam licet in morbo occurrat, nihilominus, causam solam esse nihil evincit.

Qui hunc morbum fluidi biliosi variationibus imputant, meliori sententia judicavere; sed aliqui antiqui sine ratione dicebant, (ut scripsit Riverius), rheuma falsum in capite generatum, et ad intestina vectum, eum produxisse.

Inter scriptores recentiores, de causis quoque disceptatio multa est; sed propter frequentiam ejus sub cœlis calidis, sicut Insulis Occidentalibus et Orientalibus et Africa, in quibus proniores sunt homines ad morbos hepaticos, accusata fuere variationes morbidæ fellis, plerumque conditio quædam acris, et affectus hepatis; cum aliis fortuitis, ægri constitutione, victus genere, &c.

Contagionem semper causam credebat Cullenus; et doctrina ejus in Academiis plerisque Europæ recepta et docta fuit.

Quanquam Dysenteria epidemica esse bene cognita, nihilominus, anne contagiosa sit, nunc dubitatur. Contagionem in hoc sicut in aliis mor-

bis faciant fortuita, ut in febre flava, et etiam in synocho, occurrere existimatum; etiamsi indole contagiosa non fuerit ab origine.

Multorum ægrorum simul congregatio, sicut in castris militaribus et navibus (ubi pessimas strages edit hic morbus), sine ventilatione, munditie, citaque excrementorum exportatione; aërem vitiatum reddit, et effluvium epidemicum asperius, omnia symptomata exaggerat, morbum curatu difficiliorem facit. Quin robur eorum, qui inter harum rerum limites veniunt, minuit, et hoc modo proclivitatem ad omnes morbos, sed præsertim ad eos, quos status epidemicus aëris fere affectat, generat. Ex his fortasse Dysenteria contagiosa gigni potest.

Scripsit Gulielmus Harty, M. D., nunquam contagiosam, nisi Typho conjunctam, et tunc non ex effluvio Dysenterico ipso oriri, sed ex contagione Typhoidea. Ad eam contagiosam efficiendam, conjunctio cum Typho mihi non apparet necessaria; nam cum celeritate magna vagari invenimus, ubi prius nullo modo extitisse Typhum, novimus; necnon symptomata, quæ in ejus stadio extremo videntur, tanquam Typhoidea, ex intestinorum gangræna oriri potuerint.

Aliqui medici, ejus naturam contagiosam in toto negant; alii productam putant, non ex cutis halitu, vel aëre respirato, ut in aliis morbis infectio oritur, sed ex stercoris dysenterici aura.

"Adhuc," etiam his temporibus, "sub judice lis est." Etsi non mihi facultas est hanc dirimere, tamen in morbo ejusmodi, tam periculoso, nec raro funesto, ubi natura ejus contagiosa in dubio est, et cum cautelarum certarum omissio, si non contagionem, tamen morbum violentiorem et periculosiorem ægro præstet; medicus prudenter agere, et ministros ægrorum, "ne morti, temeritate sua, suppetias veniant," suadere debet.

In tempestate autumnali, sæpe ex cœli variationibus subitis, a caliditate vel siccitate, ad frigus aut humiditatem, oritur Dysenteria. Sudore subito suppresso, humorum abundantia introrsum repellitur.

Inter hujus morbi causas, enumerantur vaporum noxiorum exhalatio, et usus ciborum insalubrium, concoctu difficilium.

Fructuum usurpatio liberalior causa esse dicitur; sed Doctori Thomas, qui, ex habitatione longa in Indiæ Occidentalis insulis, hujus morbi

causarum et prædisponentium, et excitantium peritissimus est, nihil certi constitit, necne Dysenteria inde excitetur.

De fructibus mihi eadem mens est; certe non ex propria experientia; sed quia, obstipationem morbum præcedere novi, et verisimile est, fellis etiam secretionem turbatam aut depravatam esse; quin abdominis viscera lente excitare acidum vegetabile, et fæcum naturalium expulsionem promovere, et sic amovere, aut prævenire morbi signum unum.

In regionibus torridis, Hepatitidi sæpissime conjungitur; sed morbus hepaticus, causa an effectus solum sit, dubium videtur; nonnunquam enim Dysenteriam præcedit, aliquando succedit; et crebro conjunguntur simul ambo.

Inter Dysenteriæ causas exponendas, si erraverim, vel aliquam conjecturam pravam proposuerim, eo saltem veniam spero, quod eandem culpam solum commisero, in quam etiam illapsi fuere multi ante medici solertes et excellentes; nos igitur nec experientiæ aut excellentiæ laudes nobis arrogantes, decipi quis mirabitur?

DE DIAGNOSI.

UTILITATIS magnæ est, symptomata aliqua promiscua, indistincta, et sæpe diversa, ad quendam morbum specificum, et notum referre; utpote quod medicum ad modum medendi magis systematicum, ideoque magis efficacem, manu ducit.

Sic similitudinem aliquam, in signis suis, ad Dysenteriam habet Diarrhœa. Sed utriusque curatio diversa est. In hac venæsectio inutilis et noxia esset; sed illi mederetur. Dignoscitur diarrhœa, febris, torminum, tenesmi, et dolorum abdominis violentum, absentia; et si in ea hæc apparent, moderata sunt, et præterea fæces naturales sine muco vel scybalis dejicit æger. Licet eodem tempore plures afficit, nunquam contagiosa esse dicitur. Plerumque post ingesta, quibus æger insuetus est, sequitur, sicut fructus immaturos, vel alia, quæ idiosyncrasin ejus perturbant. Non periculosa est; nonnunquam symptomatica, et febrium terminatio fit. Plerumque

sine medicamentis cessat. Aliter in Dysenteria accidit.

Discernitur Dysenteria ab Enteritide Erythematica; absentia, in posteriore, tenesmi et contagionis, et frequentia dejectionum uberrimarum plane stercorearum. Nihilominus dolor crucians, et tormina, simillima sunt in ambobus.

Cholera morbus ab ea differt, quia in cholera vix aliquid, nisi bilis, in evacuationibus ventriculi et intestinorum, apparet.

In Colica fit levis dolor, parte dolenti impressa. Adest obstipatio pertinax, et porro maxime subito aggreditur.

DE PROGNOSI.

Quum nihil aliud, magis quam prognosis recte dicta, sive fausta sive infausta, medici solertiam aut ignaviam indicet; nec aliud, magis benignas opiniones inter populos, de eo excitet; de omni morbo prognosis, summo judicio, et prudentia maxima, pronuncianda est; et sæpe cura, circumspectione, et dubio, responsis similis (ut utrique exitui respondeat), e tripode antiquorum datis.

Prognosis de morbi eventu his niti videtur; nempe, progressu, symptomatibus urgentibus, cum aliis morbis conjunctione, sicut febre intermittente vel remittente (quod non raro in castris militaribus accidit), ægri habitu, viribus et vivendi more, remediorum effectu, munditie, libera aëris puri per conclave transmissione, et regionis temperie.

Nunc dicere tantum restat, quæ signa fausta, et quæ infausta sint.

In plagis calidis, situ humilibus et paludosis, hic morbus periculosus est, et præcipue Febre intermittente, remittente aut Typho comitatus, vel in castris accidens.

Ex signis, quæ infelicem finem denotant, sunt tenesmus magnus, dolores aspere torminosi, sellæ frequentissimæ, materia dejecta in quantitate parva, et ex muco, sanguine, vel pure permisto constans; virium prostratio, evacuationum odor fœtidissimus, abdominis tensio, pyrexia vehemens; cum Hepatitide, Scorbuto, vel Phthisi Pulmonali complicatio; ætas provecta, et signa typhoidea.

Hæc ubi adsunt, parum dubii est, quin mors ægri ærumnas cito terminabit.

Contra vero, si pyrexia lenis sit, sine putredinis indiciis, æger juvenis, et non morbis prægressis quassatus; tenesmus et dolores torminosi lenes; abdomine et hypochondriis pressis dolor levis; pus nullum post sedem; medicamenta fæces naturales dejiciunt; et præcipue si cutis leni sudore humida; sit prognosis fausta.

DE MEDENDI RATIONE.

Pro nullo morbo invenerunt medici remedium haud dubie specificum; nec praxis viam aliquam mechanice systematicam perscribere potuerunt. Nam ejusdem morbi signa, in variis casibus, mutantur; et eventus comitantes plerumque discrepant.

Ad hæc omnia est illis necessitas sese accommodare; et unum aut aliud ex his remediis, quæ a notis naturæ et morbi principiis deducta fuere, usurpare.

Exempli gratia; Dysenteriam nonnunquam curavit venæsectio; sed fortasse noxia erit, si celebrata in ægro, eodem tempore Typho laboranti.

Ex his constat, rationem medendi usurpandam, omnino ex signis præsentibus pendere.

Ab medicorum opinione inflammationis in hoc morbo existentis, venæsectio frequenter exercetur inter hodiernos, et plerumque eventu felici. Alii tamen ejus usum non comprobant; dum alii, contra, utilitatem ejus immodice laudant.

At quoniam existit inflammatio, ex ratiocinatione sola inducimur, sicut in morbis aliis inflammatoriis, depletione fidere multum.

In Enteritide aut Peritonitide, ubi, ut Dysenteria dolor, abdomine presso, augetur, et adsunt signa inflammationis, usurpatur venæsectio; certe morbus, Classis ejusdem in Nosologia, et iis tam affinis quoad signa attinet, idem remedium postulat.

Qui sanguinis detractionem prohibent, morbum typi typhoidei esse contendunt. Sed hoc ambiguum est. Nobis equidem videtur, febrem typhoideam nunquam cum Dysenteria idiopathica grassari ab initio; sed propter symptomatum violentiam, virium prostrationem, et functionum naturalium læsionem, supervenire signa putredinis.

Omnis theoriæ documentum experientia est; et ex hac sanguinis missionem in hoc morbo feliciter usurpari constat.

Eques illustris JOANNES PRINGLE hoc remedio ad Dysenteriam debellandam usus est. Idem auctor tamen, abusum ejus non comprobavit; et hæc verba habet: "In weakly habits, and in contagion, with few feverish symptoms, I wholly omit that evacuation."

Venam secavi ipse, in hoc morbo, cum beneficio maximo, quamvis in diem quartam ab initio, et æger maxime debilis visus est. Teneritas et dolor, ex abdomine presso, me ad phlebotomo utendum induxerant. Vix unciæ duæ et semisse detractæ fuere, priusquam supervenit syncope, ex quo cito revaluit æger, cum signis omnibus mitigatis, et post tempus breve, alvo imprimis soluta, restitutus est. Licet multum boni ab venæsectione mature exercita oritur, nihilominus, usus ejus cautelam et judicium postulat, morbo advecto; nam status infirmus cito accedit, in quo hæc depletio, hominem afflictum, in mortis tetricæ complexum, properaret.

Quum occurrit plerumque fæcum naturalium retentio, alvum solvendi necessitas obvia et ur-

gens est. Hanc curationis partem nunquam omitti oportet: nam in plerisque morbis, alvum solutam tenere, summi momenti est.

Hoc optime fieri potest laxantium ope; scilicet, salium mediorum, ut Phosphatis Sodæ, Sulphatis Magnesiæ vel Sodæ, in infuso Sennæ solutorum, vel eorundum Manna optima compositorum; et nullum Oleo Ricini melius est.

Laxantia præ purgantibus drasticis et resinosis commendavi, quippe, remedia sunt quæ alvum dejiciunt, sine irritatione. Sed si nihil boni hæc efficiant, dein drastica et resinosa usurpare nos oportet.

Emetica in usu crebro fuere, et præcipue efficacia sunt, morbo cum febre intermittente conjuncto. Effectum optimum habent, ubi deorsum agunt, vel sudorem eliciunt. At si perstans vomitio Choleram morbum minitatur, emeticorum et purgantium exhibitio prohibenda est. In hoc casu optimum est, lente ventriculum vacuare, Anthemidum florum infuso; dein opium porrigere ad eum sedandum, et eodem tempore, fomenta calida (præcipue capsula papaveris in aqua calida infusa), regioni ejus applicare. Si opium

vomitu rejiciatur, quantitate duplici, per anum injici oportet.

Si non prosint fomenta, et perstet vomitus, dein necesse erit, epigastrio superimponere Emplastrum epispasticum; optimum est Emplastrum Cantharidis compositum, *Ph. Edin.*

Quoniam opinio nonnullis sit, ex sudoris suppressione morbum ortum esse; eum elicere, a priori, utile videatur, et ab experientia comprobatur.

Ad hoc, detur Pulvis Ipecacuanæ compositus: vel confectioni aromaticæ, vel massæ Pilularum Hydrargyri, conjunctus. Balneum calidum diaphoresin promovet, et sanguinem ex partibus internis elicit, dolorem minuit.

Submurias Hydrargyri bene agit, præsertim in specie tropica hujus morbi, ex actione ejus in organa bilifera. Utilis fuit etiam in plagis nostris, ubi fel depravatum fuit, conjunctus aut cum confectione aromatica, aut Pulvere Antimoniali, aut Ipecacuanha, aut Opio.

Spasmum solvere, et signa putredinis debellare, Moschus, Hyoscyamus, Camphora, &c. dari solent.

Frictio mercurialis usque ad ptyalismum adhibita fuit; sed non feliciter, ad hunc gradum, ut multi auctores sunt.

In speciei tropicæ accessu secondario, in qua accedit relaxatio intestinalis, Acidum Nitricum utile dictum, et nonnunquam cum Tinctura Opii compositum est.

Morbi finem versus, Tonica et Astringentia, veluti Rheum palmatum, Cinchona, Ferrum, Catechu, Kino, Lignum Campechianum, &c., utilia sunt.

Per totum morbi decursum, summa munditie, aëre purissimo, fumigationibus et sordium amotione crebra, opus est.

Convalescenti diæta et nutriens et concoctu facilis sit; sicut, juscula, gelatina animalis, Sago, Ptisana, &c.

Transitiones subitas aëris calidi et frigidi vitet; et panno laneo vestiatur. Moderate exerceatur; et alvum regularem conservet.

FINIS.